

Syrupus comp. Extracti cinam. extr. sp. diamb. extr. nuc. mosch. & ma-
eis, singulæ semunc. extr. sp. diarhod. abb. vncia, aq. ros. vini maluat. singulæ
sesquilibræ: cum sach. q. s. fiat syrupus.

(*Nonnulli syrupos ex aquis destillatis & saccharo tantum faciunt: sed in-
praestantioribus efficacioribusq; diligenter apparatus, vix iulepi vim assequuntur
spiritu per coctiones diuolante. Succo ergo sunt addendi. De iis Sylvius ita: Qui
syrupus fit ex aqua destillata, vel infusione violarum & rosarum siccarum,
paruarum est virium.*

Pil. Chymica: Extr. elleb. nigri drachma, extr. mass. pil. alephang. drach.
mæ duæ, aloës ros. Cratonis scrup. ij. extr. zingib. scrup. j. Fiant pill. Si opus est
addito syr. è cinam.

*Eiusmodi compositiones sibi quisq; ad libitum vel necessitatem, comminisci
potest. Ista à me producta sunt loco exemplorum, ad studiosorum informationem,
quanquam quadam etiam ex aliis autoribus sunt petita. Studui probatissima po-
nere, & ut plurimum arcana. Fruantur qui volent cum gratia.*

TRACT. III. CAP. II.

De Clyffo.

Clyffus est species composita ex eiusdem rei speciebus variis seorsim
elaboratis.

Itaque clyffus totam rei substantiam complecti potest, quandoqui-
dem abiectis impuritatibus & fecibus, quidquid in ea est essentiale ad vnum
redigitur compositum.

*In elixyre componebantur variarum rerum species Chymica: hic vnus va-
ria species: & in simplicibus qualibet elaborabatur ad eam formam magis, ad quã
per naturam disposita erat potius, ceteris etiam si item non planè erant inania, ta-
men ob vilitatem, paucitatem, laboris magnitudinem, & alia neglectis. Clyffus
quicquid ubique in re est, & omni eius parte coaceruat. Non immeritò itaq; pro
totâ rei substantia est, & essentia completa.*

*Vox autem ista usurpatur ab Andernaco, Porta, & aliis nonnullis, signatq;
dilutum, qua forma potissimum solet usurpari, quanquam etiam alias esse nil pro-
hibet.*

Duobus modis fit clyffus: Aut enim fit ex diuersis, vnus planè & eius-
dem membri speciebus, ordine quodam, seorsim tamen cōcinnatis, & vnitis
postea: vel ex vnus simplicis pluribus membris, vnoquoque elaborato pro
sua natura, siue vnam reddat essentiam, siue plures.

Ita secundum primum modum si elementa segregata coadunantur vi-
cissim, clyffus fit: si item diuersi balsamorum & oleorum liquores vnâ cum
sale capitis mortui reducantur ad formam mistam clyffus erit, in quo pler-
umq; abundat humiditas, & consistentia est liquida.

Clyffus